



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Diff. 1. De Univocis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO V.

De Antepredicamentis, Predicamentis, Postpredicamentis in communi.

TRactaturus Philosophus de Predicamentis, præmisit explicationem quandam vocum, hoc est quid sit Univocum, Æquivocum, Analogum, quæ Antepredicamenta appellavit; quibus adjunxit denominativa. Egit postea de Predicamentis, & demum de Postpredicamentis. Nihil hic disputabile erit, solæ Notiones terminorum, & divisiones ponentur.

QUÆSTIO I.

De Antepredicamentis.

ID quod hic faceret difficultatem, de Analogia Entis, alibi tractatur. Hinc ea quæ hic adferentur propter incipientes & methodi causâ.

DIFFICULTAS I.

De Univocis.

QUÆRITUR I. *Quid sint Univoca?*

RESPONDETUR. Sic ea definit Arist. Univoca sunt, quorum & nomen commune est, & secundum nomen eadem Substantiæ ratio: Ubi ut vides ad univocationem requiritur unitas nominis, & præter hoc convenientia in eadem essentia seu natura; qualis est convenientia specierum in nomine animal, & in nomine v. g. Homo, convenientia individuum quæ sunt Petrus, Paulus &c. Quando verò Aristotel. dicit sub genere latere æquivocationes; per æquivocationes intellexit differentias, quæ componunt cum genere speciem, quibus tamen non obstantibus differentiis, seu æquivocationibus, potest dari adhuc ratio communis conveniendi sub uno nomine, adeoque Univoca.

QUÆRITUR 2. *Quæ sit Univocorum divisio?*

RESPONDETUR. Univoca alia sunt Univocata, seu participantia, alia sunt Univoca Univocantia, seu participata. Univoca Univocantia, sunt ipsa illa nomina, & secundum nomina, una Substantiæ ratio: v. g. Animal est univocum univocans, seu participatum; item ly Homo est univocum univocans, seu participatum, quod scilicet ab inferioribus participatur. Univoca autem Univocata seu participata, sunt ipsa multa participantia idem nomen; & eandem naturam; & ita Petrus &

Paulus sunt univoca univocata, seu participantia eandem rationem hominis. Item dividuntur univoca, in univoca substantialia, & univoca accidentalia. Univoca substantialia sunt, quæ conveniunt in una ratione essentiali; ut omnes homines in ratione Animalis sibi essentiali: Alia univoca sunt accidentalia, quæ conveniunt in una ratione accidentali; ut papyrus, nix, lac, in una ratione albi. Sed hæc divisio secunda, non est omnimodè ad mentem Philosophi; nam ille rationem illam communem, quæ participatur, substantiam appellat; ratio autem Substantiæ, accidentibus non convenit.

QUÆRITUR 3. *An univoca excludant disconvenientiam?*

RESPONDETUR. Excludere disconvenientiam univoca ex ratione nominis univoci, & ex ratione Substantiæ illo nomine significatæ; hinc in ratione Animalis, nullam habent disconvenientiam, Homo, Bos, Leo, &c. Cæterum univoca non excludunt disconvenientiam, quæ importetur ex alio nomine, rationeque illo nomine significatæ, v. g. Bos, & Leo, disconveniunt in ratione rugibilis, & mugibilis, cum sint univoca in ratione animalis.

DIFFICULTAS II.

De Æquivocis.

QUÆRITUR I. *Quid sint Æquivoca?*

RESPOND. Arist. Æquivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum nomen verò, ratio Substantiæ diversa, & ita nomen v. g. Canis, dictum de sidere, de latrabili, & de pisce marino, est nomen commune, sed ratio Substantiæ omnino diversa. Ly Nomen, accipiendum hic liberalius, sive pro verbo, sive pro quocunque alio termino, modò sive verbum, sive nomen, in quantum dicitur commune, accipiat in suppositione materiali, hoc est dictione ex literis composita; non verò accipiat in suppositione formali; hoc est non accipiat pro significato: certè enim latrabile significatum nomine Canis, non est commune nomen Sideri.

QUÆRITUR 2. *Quot sint æquivoca?*

RESPONDETUR. Dividuntur imprimis æquivoca in Æquivoca Æquivocantia & Æquivocata, proportionaliter intelligenda sicut ex-